

CHRISTI
449.LEONIS PAP.
10.THEOD. 42. IMPP.
VALENTIN. 25.

XLVII.

Cum enim Deus & omnipotens & aeternus Pater creditur, consensu eternis eidem Filius demonstratur, in nullo a Patre differens: quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de aeterno natus est coaeternus, non posterior tempore, non inferior potestate, non dissimilis gloria, non divisus essentia. Idem vero sempiterni Genitoris Unigenitus sempiternus natus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Quae natiuitas temporalis illi natiuitati diuinae & sempiternae nihil minuit, nihil conculit; sed totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit; ut & mortem vinceret, & diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute destrueret. Non enim superare nos possemus peccati & mortis auctorem (a), nisi naturam nostram ille susciperet, & suam faceret, quem nec peccatum contaminare, nec mors potuit dehinere: Conceptus quippe est de Spiritu sancto intra uterum matris Virginis; quae ita illum, salva virginitate, edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.

(a) Hebr.
2.

XLVIII.

Sed si hunc de Christiana fidei fonte purissimo sincerum intellectum haurire non poterat, quia splendorem perspicuae veritatis obaccatione propria tenebrarat: doctrina se Evangelica subdidisset, dicente Mattheo (b). Liber generationis Iesu Christi filii David filii Abraham: Apostolica quoque praedicationis expetisset instrumentum, & legens in epistola ad Romanos (c): Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod antea promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem: ad Propheticas paginas piam sollicitudinem contulisset, & inuenisset promissionem Dei ad Abraham dicentis (d): In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Et ne de huius seminis proprietate dubitaret, secutus fuisset Apostolum dicentem (e): Abraham dicta sunt promissiones, & semini eius: non dicit, & seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno & semini tuo, quod est Christus: Isaias (f) quoque praedicationem interiori apprehendisset auditu, dicentis: Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius, Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus: Eiusdemque Propheeta verba legisset (g): Puer natus est nobis: filius datus est nobis, cuius potestas super humerum eius, & vocabitur nomen eius, Magni consilii Angelus, Admirabilis, Consultarius, Deus, Fortis, Princeps pacis, Pater futuri saeculi.

(d) Genes.
22.(e) Galat.
3.(f) Isai.
7.(g) Isai.
9.

XLIX.

Nec frustratorie loquens ita Verbum diceret, carnem factum, ut editus utero Virginis Christus haberet formam hominis, & non haberet materni corporis veritatem. An forte ideo putavit Dominum no-

strum Iesum Christum non nostrae esse naturae, quia missus ad beatam Mariam Angelus ait (b): Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nasceretur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei: ut quia conceptus Virginis, diuini fuit operis, non de natura concipientis fuerit caro conceptus? Sed non ita intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, ut per novitatem creationis proprietates remota sit generis. Fecunditatem enim Virgini Spiritus sanctus dedit: veritas autem corporis sumpta de corpore est, & edificante sibi Sapientia (i) donum, Verbum (k) caro factum est, (i) Provi. & habitavit in nobis: hoc est, in ea carne, quam sumpsit ex homine, & quam spiritus vita rationalis animavit. Salva igitur proprietate utriusque naturae, & in unam coeuntes personam, suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas: & ad resolvendum conditionis nostrae debitum, natura inuolabilis, natura est unita passibili: ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, & mori posset ex uno, & mori non posset ex altero.

(b) Luc.
1.(i) Provi.
(k) Jo. 1.

L.

In integra ergo veri hominis perfecta, quae natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris: nostra autem dicimus, quae in nobis ab initio Creator condidit, & quae reparanda suscepit. Nam illa quae deceptor intulit, & homo deceptus admisit, nullum habuere in Salvatore vestigium: nec quia communionem humanarum subiit infirmitatum, ideo nostrorum fuit particeps delictorum. Assumpsit formam serui sine forde peccati: humana augens, diuina non minuens: quia exinanitio illa, qua se inuisibilis visibilem praeiuit, & Creator ac Dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei fecit hominem, idem in forma serui factus est homo: tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura, & sicut formam serui Dei forma non adimit, ita formam Dei serui forma non minuit. Nam quia gloria batur diabolus, hominem sua fraude deceptum diuini caruisse numeribus, & immortalitatis dote nudatum, duram mortis solatium; Deum quoque (iustitiae exigente ratione) erga hominem, quem in tanto honore considerat, propriam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, cuius voluntas non potest sua benignitate privari, primam erga nos pietatis suae dispositionem sacramento occultiore completeret; & homo diabolice iniquitatis verus in culpa

pam